



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Ioannis|| Climaci Ab-||batis Montis|| Synai,|| Scala Paradisi

Johannes <Climacus>

Coloniae, 1583

VD16 J 520

Vita Senis cuiusdam capti oculis in Monasterio Abbatis Sisci. Capvt CLXIX.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55433)

pereginum, & à canibus comestus est; cùm enim illum saluare possem, non feci, sed dimisi eum, & à canibus discerptus est, scioque, quia & ego ita mori debeo. Quod & factum est. Post. tres enim annos à bestijs, vt dixerat, & ipse discerptus est.

† Erat quippe nudus. Multi siquidem ex sanctis nuditate pro vestimento vsi sunt.

Dicta Abbatis Alexandri senis.

CAPVT CLXVIII.

DICEBAT Abbas Alexander senex fratribus: Patres nostri deserta, & tribulationes persequabantur; nos autem ciuitates, & requiem sequimur. Dixit iterum senex: Sub patribus nostris virtutes istæ vigeant, nuditas, & humilitas; in nobis autem auaritia, & superbia regnat. Ait rursus: Patres nostri nunquam facies suas lauabant; nos autem lauachra publica, balneaq; frequentamus. Dixit iterum senex: Heu mihi, filij, quia conuersationem verè Angelicam destruximus. Ait autem ad illum Abbas Vincentius discipulus eius: Infirmi profectò sumus, pater. Dicit ei senex: Quid dicis, Vincēti, quia infirmi sumus? Crede mihi, fili, Olympici corpore, & robusti sumus, sed anima nostra imbecilla est. Dixit iterum: Multum comedere, & bibere, & benè vestiri possumus, abstinere autem, & humiliari non valemus. Rursus dixit: Væ tibi Alexander; væ tibi; quanta erit confusio tua, quando cæteri coronabuntur.

† Vide virtutes, quæ antiquos monachos commendabant.

Vita Senis cuiusdam capti oculis in Monasterio Abbatis Sisci.

GG 4 CAB.

FRAT senex quidam in Sciti captus oculis in monasterio Abbatis Sisci. Distabat autem cella ipsius à puteo ferè mille passibus, & inquam passus est, ut sibi alius afferret aquam, sed facto fune, vnum ipsius caput ad puteum ligauit, & alterum in cella sua. Iacebat autem funis in terra. Quando ergo pergebat haurire sibi aquam, supra funem ambulabat. Hoc autem faciebat senex, ut inueniret puteum. Cum autem arena propter ventum operuisset funem, tenebat ipsum manu, & excutiebat, & rursus illum in terra ponebat, & super eum ambulabat. Frater autem quidam rogabat senem, ut se pmitteret illi afferre aquam. Cui respondit senex: Fili, viginti iam & duo anni sunt, ex quo mihi semper ita hauri aquam, & laborem meum tu modò auferre vis.

Vita cuiusdam sanctæ mulieris in eremo defunctæ.

C A P V T. CLXX.

DI ST A B A T ab Hierosolymis ferè viginti passuum millibus monasterium quoddam, quod Sampsonis dicitur. Ex hoc monasterio duo patres abierunt ad montem Sina orationis gratia, reuersiq; in monasterium nauerunt nobis dicentes: Cum adorauissemus in sancto monte, & iam reuerteremur, contigit nos eremi deuia errando sequi. Ferebamurque sicut in pelago per mediam solitudinē dies plurimos. Die verò quadam aspiciamus de longinquo speculuncam breuem, ad quam tendentes, cum iam speluncæ propinquarem, cernimus exiguum fontem, & circa fontem herbas modicas, & vestigia hominis. Dicebamusque apud nos ipsos: Verè hoc